DE APOSTOLICA
S. PETRI CATHEDRA
ORATIO
Habita in Sacroſancta Principis Apoſtolorum Baſilica

AD SANCTISSIMUM D. N.
BENEDICTUM XIV.
PONT. OPT. MAX.

A JOANNE BAPTISTA ALBICINI
PATRITIO FOROLIVIENSI.

BIBLIOTECA NAZ.



ROMAE
APUD IOANNEM MARIAM SALVIONI
TYPOGRAPHUM VATICANUM.
M. DCCXLVI.
SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

Digitized by Google

SANTISSIMO DOMINO NOSTRO

BENEDICTO XIV.

PONTIFICI MAXIMO

JOANNES BAPTISTA ALBICINI

FELICITATEM.

DE divina Petri cathedra Te coram, *B*EATISSIME *P*ATER, *cum mihi facta dicendi facultas eſt,*

Digitized by Google

non tàm præteritorum temporum gloria, quàm noſtræ hujuſce ætatis incomparabilis felicitas occurrebat. Summi enim Pontifices, quotquot omnes fuerunt, qui appulere animum ad Chriſtianæ Reipublicæ regimen, id ſibi negotii datum divinitùs agnoverunt, ut Fidei, & Religionis integritati, ſanctitati morum, & diſciplinæ conſulerent: Tu eorum omnium mentes, quanta es ſapientia, planè complexus, inſtitutas a ſingulis leges optimas tua non ſolum auctoritate reſtauras, ſed & res omnes in eum ordinem digeris, ut Te Pontifice nulla præterita

Digitized by Google

ætas deſideranda, noſtra verò hæc maximè inpoſterùm expetenda videatur; & ne quid felicitati noſtræ deſit, inter graviſſima tùm Religionis, tùm Reipublicæ conſilia accedit ſingularis Humanitas tua, qua ad Te accedenti intercluſus aditus nulli eſt, & mihi etiam per Te liceat orationem hanc, quam benignis auribus non es dedignatus excipere, Tibi ſiſtere, & devovere. Tanto igitur noſtro, & totius Eccleſiæ bono Deum Optimum Maximum deprecor, ut Te diù, multumque ſervet incolumem, & Sapientia tua diutiùs interturbatam reddat Chri-

 ſtianæ

Digitized by Google

ſtianæ **R***eipublicæ tranquillitatem, ut Univerſus Orbis Te Patre, Te Pontifice, Te Principe, optata tandem, qua nos fruimur, pace fruatur.*

O R A T I O.

FActum ſanè eſt divino Conſilio, ut in eo loco ſupremam Petri Sedem coleremus, undè aliquando egreſſi Imperatores Maximi de de ſubacto Orbe pompam ducerent triumphalem, & in Urbem terrarum Dominam ampliſſima dignitate ingrederentur. Si etenim Romanæ Gentis Fortitudini, & temperantiæ, morum denique probitati, id à Deo optimo maximo olim elargitum cenſet Auguſtinus, ut Imperii fines tàm longè, lateque protenderet; quid invictæ Principis Apoſtolorum Fidei,

& eximiæ erga Deum Charitati tributum putamus, niſi ut in hac Urbe, in hac ipſa triumphali ſede, non solùm Apoſtolica ejus Fides firma ſemper, & intemerata conſiſteret, ſed & reliquas, quæ per immenſum Orbem fuſæ ſunt Gentes in Orthodoxo Dogmate, in officio, ac religione contineret?

Hæc ſiquidem illa ſedes eſt, quam jam indè ab initio Ethnicorum Principum perfidia fruſtrà auſa eſt immanitate convellere, quam tribus ferme ſæculis ſummorum Cæde Pontificum ſæpè vexavit; nunquam tamen ſtabilior, quàm cum eorum, vel ipſius Petri ſanguine redundavit. Diuturno quidem bello Fides cum impietate contenderit, ceſſit tandem divinæ Petri Cathedræ profani Imperii Majeſtas, & quæ ſibi Jura in univerſum Orbem ferox armorum, indoles uſurpaverat, ea Romani Pontifices demandata divinitùs auctoritate placidè obtinuerunt. Jam verò quàm inconcuſſa poſt hominum catholicorum memoriam Petri Fides in hac Cathedra permanſerit, videamus. Plures duodevicenis penè ſæculis ſurrexiſſe hæreſes ad dilacerandam Eccleſiam magna Chriſtiani nominis pernicie legimus;

Digitized by Google

mus ; audivimus labem hujuſmodi nedùm membra, ſed & Eccleſiarum capita aliquando infeciſſe, imbutas fæda contagione Epiſcoporum ſedes, Metropoles, Patriarchatus : Romanam Sedem a via veritatis unquam deflexiſſe, nec legitur, nec auditur; & qui fieri aliter poterat, ſi ab Eccleſia inſtituta neque tacitum, neque obſcurum fuit hoc Sapientiſſimi Conditoris conſilium, ut Petrus doctrina ſana oves paſceret, ut Fratres in fide confirmaret, ut Univerſæ Gentes per os illius audirent verbum Evangelii, & crederent, (*a*) ſuper illum ædificaretur Eccleſia, ne portæ inferi prævalerent adverſus eam ? Quæ ſanè dum Petro commiſſa intelligimus, non privato homini, ſed Chriſtianæ Reipublicæ Præfecto, non uni, inquam, Petro, ſed & Beatiſſimis Petri Succeſſoribus intelligimus eſſe commendata. Quod ſi quis eſt, qui aliter judicet, vel inanes, & vacuas per impietatem ſummam judicet Chriſti preces; vel Petri (*b*) Fidem, quæ ne unquam deficeret, Dominus rogavit, in Romana ſede nunquam credat defecturam.

Sed dum iſta commemoro, intelligo eo deve-

[a] *Matth.* 16. 18. [b] *Luc.* 22. 32.

deveniſſe Orationem meam, ubi præſtantiſſima hujuſce ſedis auctoritas ſuperſtruitur. Pugnarint aliquando Græci, & magnus Eccleſiarum numerus contenderit pervicaciter, ut dignitatem Romanæ Cathedræ adimerent, ſupremamque ejus in Eccleſia poteſtatem, ſi poſſent, abrogarent: nihil certè magis illi profecerint, quàm ut ab uno Catholicorum Cętu haberentur Schiſmatici, quemadmodum Hæretici habiti ſunt, qui ejus de Fide judicia detrectarunt. In qua Eccleſia profectò tenet nos, ut ait Auguſtinus (*c*), ab ipſa Petri Sede, cui paſcendas oves ſuas Dominus commendavit, ſummorum Sacerdotum ſucceſſio: tenet perpetuus ipſiùs met Eccleſiæ uſus, qui in fidei, religioniſque controverſia Romanæ Sedis judicia, perindè ac divina Oracula ſemper efflagitavit; tenent deniquè Ecumenicæ Synodi, quæ prolatas ab Epiſcopis univerſi Orbis ſententias; tùm demùm vim fidei habere, & regulas morum eſſe cenſuerunt, cum eas Romanus Pontifex confirmavit. Quis verò in Orbe locus, quæ Regio tàm diſſita poterit unquam ad hujuſce ſedis majeſtatem non pertinere? Habet enim in

[c] *Auguſt. contra Epiſt. Manichai cap. 4.*

Digitized by Google

in Eccleſia poteſtatem tantam , quanta ad continendos Chriſtianæ Reipublicæ Cives in fide , religione , & officio eſt neceſſaria : tantam deinde extra Eccleſiam vel in ipſis Gentibus habet auctoritatem , quanta maxima ad evellendos errores , & hæreſes revincendas collata divinitùs eſt Apoſtolicæ dignitati . Tanta denique ipſi eſt , & tàm admirabilis cum divina Omnipotentia conſenſio , ut *(d)* quodcumque ligaverit in Terris, ſit ligatum in Cœlis , quodcumque ſoluerit , reſolutum . Quæ ſi ita ſunt , ut certè aliter eſſe non poſſint ; Cathedram divinam hanc ea , qua par eſt , animi demiſſione veneremur : & quemadmodum revelatus eſt Moyſi locus ille , quem elegerat Dominus , ut inde ab Judæis divina oracula peterentur , ita locum hunc manifeſtatum Petro ſentiamus , ubi divinus ille Pontifex Chriſtus conſtituit Regni ſui Principatum , & ſedem nunquam interituram collocare .

[d] *Matth.* 16. 19.

LAVS·DEO

Digitized by Google

Digitized by Google